

1470 tri principatu inchoata, sub eo ad summum est deducta, ubi circa fastigium illius statua ex pario marmore visitur, atque duæ aliæ primorum parentum illi subjectæ, opus Antonii Crispi, statuarii nostra tempestate optimi. Turris quoque per id tempus ex candido & quadrato lapide ad Olivolensem ædem fundari cœpta est: opus sane perspicuum, ac jam propemodum ad consummationem spectans.

1471

Nicolaus
Thronus
Dux crea-
tur.

1472

Mocenicus
in oram Io-
nia trans-
misit.

Nicolaus Thronus Mauro successit. Hujus principatus etfi brevis, longe tamen sælix fuit: quippe quo fœdus cum Persarum Rege est iktum, & Cyprus nobilissima insula Veneto accessit imperio. Patrès ad Romanum Pontificem & ad Ferdinandum Regem legatos misere, qui postularent, ut in Turcum communem hostem bellum in proximam æstatem compararent: nec longa opus esse cunctatione ostenderent: jam propemodum gerendarum rerum tempus appetere. Ab utroque benigne legati accepti & ad bellum auxilia pro viribus promissa. Mocenicus quoque Cyprium Regem, & Rhodiorum Magistrum ad vires in barbaros contrahendas, per literas hortatus est. Ipse interim Ægeas insulas perlustrans, omnia sua præsentia erigere. Est Ionix vicus e regione Chii insulæ, *Passagio* nomen loco est: huc ex tota fere Asia merces comportabantur ea tempestate, qua Chium velut commune emporium Itali negotiatores frequentabant. Hunc locum, quum sine præsidio esse Mocenicus cognovisset, classe proximis littoribus sub lucem appulsa, socios navales cum parte turmarum repente ad opulentam prædam immisit. Vicinis subito malo perculsis, fugaque in proximos montes dilapsis, tabernæ Asiaticis mercibus refertæ per ocium sunt direptæ: prædaque omni in naves asportata, tecta subjecto igni Venetus concremavit. Mocenicus Methonem reversus (nondum enim bruma exierat) aliquot ibi dies stationem habuit: inde crebris rumoribus de hostium classe dissipatis, ex hybernis excitus (erat autem fama, Othomanum ad Lemnum occupandam triremes quadraginta instruxisse) celeri navigatione in insulam cum tota classe se contulit. Hic vero comperit, falsos fuisse rumores, qui de hostium adventu Pello-